

**Quaeritur, quales sententias in „Historia Graeca“ secutus sit  
Xenophon de rebus divinis et publicis atque ostendit, eas sententias  
cum illis convenire, quae in ceteris Xenophontis maioribus operibus  
leguntur.**

---

Librum Xenophontis, pui inscribitur *Ἑλληνικά*, non ultima auctoris manu perpolitum esse non modo tota expositionis ratio perquam inaequabilis aperte arguit, sed etiam dictionis genus abruptum interdum nec raro celebri illa Xenophontis elegantia et facilitate carens testatur. Neque enim quemquam paulo diligentius illud opus lustrantem fugere poterit in prioribus libris duobus plane aliam res tractandi obtinere rationem atque in reliquis quinque. In illis enim, quibus enarratio belli Peloponnesiaci a Thucydide inchoata ad finem perducitur, rerum scriptor Thucydideam quoque consuetudinem res gestas ad singulos annos computandi secutus est, quum in posterioribus partibus res non tam ex temporum ordine, quam ex cohaerentia inter ipsas intercedente memorentur. Quae et rerum et expositionis diversitas haud paucos eo perduxit, ut Xenophontis opus non unum, sed in duas partes diversis temporibus composita sejungendum esse contenderent: priore parte (Iet II) id, quod Thucydides sibi proposuisset, rerum scriptorem absolvisse, postiore rerum deinceps gestarum enarrationem adiecisse. Quae quum ita sint, nihil mirum, si de consilio, quod Xenophonti in exarando hoc opere observatum sit, minime inter homines doctos convenit. Maxime offendit libri initium abruptum, quo manifesto significatur voluisse scriptorem aliis cuiusdam narrationem continuare. Et quum Thucydidis enarratio ad ea fere tempora pertineat, a quibus Xenophon filum expositionis suscepit, non potest dubium esse, quin Xenophon Thucydidis librum continuare voluerit. Sed magna inde oritur difficultas, quod argumentum Hellenicorum non arce annectitur libro Thucydideo, sed desiderantur aliqua, sine quibus narratio Xenophontea intelligi non potest. Item desideratur prooemium, ex quo, quid consilii Xenophon secutus sit, appareat. Porro hoc quoque animadverendum est res satis multas, quae haud parvi momenti sunt, leniter tantum ac paucis verbis tangi, quum aliae maiore cum diligentia tractatae atque lactea, ut ita dicam, ubertate expositae sint. His omnibus perpensis rationem, qua Xenophon

hunc librum conscripsit, sic fortasse proponere licebit: hausisse eum materiam ex opere quodam maiore eamque accuratius tractandam sibi sumpsisse: neque tamen id consilium perfecisse, sed partem modo eorum diligentius et e sententia sua elaborasse, cetera, quominus item tractaret, morte prohibitum imperfecta reliquise. Quae si accipiuntur, et operis inaequalitas et expositionis dictionisque vitia et prooemii defectus facile expeditur. Ac si cui minus credibile accidat aliud iam tum de iisdem rebus opus exstisset, reputet is Xenophontem librum suum, si non totum, at posteriores certe eius partes senem scripsisse. Ut locus, qui legitur VI. 4. 37, non ante annum trecentesimum quinquagesimum septimum scriptus esse potest. Memoratur enim ibi mors Alexandri Pheraei, quae teste Diodoro XVI. 14 in illum annum incidit. Eo autem tempore sine dubio earum rerum gestarum historia scripta exstabat. Qua Xenophon usus esse eo magis indicandus est, quod non omnia praesens videre poterat atque etiam per aliquod tempus exsul vixerat.

Haec monuimus, ut ostenderemus librum Xenophontis non talem, quallem Xenophon voluerit relictum esse, sed eum esse tamquam rerum materiae, non ubique satis elaboratae et perpolitae, exemplar. Attamen, quamvis liber Xenophontis per multis locis ultima manu correctrice et quae res verbo tantum indicatas latius exponat et uberius illustret, careat, tamen praecepue in iis partibus, quae perfectiores sunt, non pauca inveniuntur, unde, *quid Xenophon de rebus divinis et publicis censerit quaeque placita secutus sit*, appareat.

Quibus locis collectis Xenophontis ingenii, quantum quidem ad res divinas et publicas pertinet, imaginem exprimemus expressamque comparabimus cum iis, quas in Cyropaedia imprimis et Anabasi pronuntiavit, sententiis.

Antequam ad exponendas Xenophontis sententias de rebus divinis et publicis accedamus, quae in historicis eius operibus, primum in Hellenicis, deinde in Anabasi et Cyropaedia proferuntur, non alineum videtur fontem illum circumspicere, ex quo omnino Xenophontis doctrina profecta est. Neque enim dubitari potest, quin ita plurimum lucis rei adfundatur, quum hominis et cogitandi et iudicandi ratio posita sit in praeceptis placitisque, quibus adolescens institutus sit.

Nam institutione, qua quis usus sit, accurate perspecta rectius de hominis consiliis sententiisque iudicare licet. Fuerat autem Xenophon discipulus Socratis, quem plurimum ad mores eius educando fingendosque coluisse nemo infitias ibit. Nam quum Xenophon Socratis sententias tam diligenter perscripsit in „Commentariis“ tantaque pietate magistri memoriam recoluerit, eum praecepta Socratis summo cum studio amplexum esse totaque sua fecisse ex iisque et sensisse et egisse par est. Quare sententias, quas Socrates de rebus divinis et publicis secutus est, quausque in Xenophontis „Commentariis“ cernuntur, leviter adumbrasse iuvabit.

Id propterea non supervacaneum putamus, quod Xenophon, ut par est, in libris historicis suas ipsius sententias non peculiari quadam cura in unum locum congressit, ut instar expressae imaginis adpareant, sed hic illic narrationi interposuit atque satis saepe etiam iis, quos loquentes inducit, supposuit. Quo clarius igitur appareat, quo sensu ipse sententias illas, quas alios proferre iubet, acceperit, haud sane iniquum erit ex ipsius moribus Socratica institutione perpolitis de iis coniicere.

Atque in numinis divini naturam inquirere, id quod ceteri illius aetatis philosophi faciebant, Socrates non modo inutile, sed etiam stultum esse ratus<sup>1)</sup> eas potius res scrutabatur, quae ad bene beateque vivendum pertinerent. Itaque quid esset iustum et iniustum, pulchrum et turpe, pium et impium, quid porro esset temperantia, quid insania, disserebat<sup>2)</sup>. Et si quam de diis doctrinam discipulis suis tradebat, nihil aliud nisi contendebat omnes virtutes in eos convenire<sup>3)</sup>. Neque vero eorum accedebat sententiae, qui deos alia scire, alia ignorare opinarentur, sed eos omnia scire persuasum habebat, et quae dicerentur et quae fierent quaeque denique tacito cogitarentur<sup>4)</sup>, et iudicare, quo res quaeque esset eventura<sup>5)</sup>.

Ceteri autem, quamquam et ipsi credebant deos sibi res futuras significare vel avium volatu vel vocibus eorum, qui obviam fierent, at tamen dicebant, illum ipsum volatum, illas ipsas voces res futuras sibi indicare. Socrates contra id, quod sentiebat, pronuntiare non dubitabat: *δαιμόνιον* h. e. vocem divinam in praecordiis sitam sibi indicia facere<sup>6)</sup>. Sed quum deos nihil omnino fugiat<sup>7)</sup>, ipsos tamen a nullo conspici. Ut ventus, quamquam vehemens, a nullo videatur, ita deos maxima quaeque efficientes et administrantes non videri, sed ex operibus suis cognosci et coli oportere<sup>8)</sup>. Tantopere autem deos prospicere ei persuasum erat, ut etiam Euthydemum sophistam confitentem faciat videri sibi deos nihil aliud facere nisi hominibus consulere<sup>9)</sup>. In universi mundi administratione conspicuum esse summam deorum sapientiam et bonitatem, quum omnia admirabiliter instituerint at ad hominum consilia sollertissime accommodaverint<sup>10)</sup>. Justitiam autem deorum in eo cerni, quod, qui leges ab iis animo nostro impressas negligat, is nullo modo poenam effugere posse<sup>11)</sup>. Sanitatem denique deorum inde perspici, quod nisi sacris instorum ac piorum non delectentur<sup>12)</sup>. Quae quum ita sint, summa ope nisi decere, ne quid agamus, quod diis ingratum sit. Quare, quae ex se ipsis homines scire nequeant, de iis deos adeundos esse, qui quibus propiti sint, vaticiniis voluntatem suam significant<sup>13)</sup>. Has fere sententias de diis divinisque rebus Socrates sequebatur. Et de rebus publicis si quaerimus, sic fere ei videbatur: esse rem publicam hominum maximam consociationem, cui id propositum sit, ut mutuis officiis praestandis omnes quam maxima utilitatis securitatisque participes fiant. Quod ut efficiatur, opus esse ante omnia, ut iustus sis: neque enim sine hac virtute

<sup>1)</sup> Xen. Mem. I. 1. 11. τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα (sc. τὰ θεῖα) μωραίνοντας ἀπεδείκνεν.

<sup>2)</sup> I. 1. 16.

<sup>3)</sup> IV. 4. 13. ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέγων, ἐν τῷ πάντα καλὰ καὶ ἀγαθά ἔστιν.

<sup>4)</sup> I. 4. 18. γνώση τὸ θεῖον ὅτι τοσοῦτον καὶ τοιοῦτον ἔστιν, ὥστε ἄμα πάντα ὄραν καὶ πάντα ἀκούειν καὶ πανταχοῦ παρεῖναι.

<sup>5)</sup> I. 1. 19.

<sup>6)</sup> I. 1. 14.

<sup>7)</sup> I. 4. 19. μηδὲν ἀν θεοὺς — διαλαθεῖν.

<sup>8)</sup> IV. 4. 13 et 14.

<sup>9)</sup> IV. 3. 9.

<sup>10)</sup> IV. 3. 3. sqq.

<sup>11)</sup> IV. 4. 21.

<sup>12)</sup> I. 3. 3.

<sup>13)</sup> I. 1. 9.

homines πολιτικούς fieri<sup>1)</sup>). Quod pietas erga deos sit, id esse iustitiam erga homines<sup>2)</sup>. Maxime autem cerni iustitiam in legibus civitatis observandis. Quare praedicandam esse Lacedaemoniorum rem publicam, cuius civibus Lycurgus summum legum obsequium imperaverit<sup>3)</sup>). Atque quantopere Socrates leges sit veritus quantaque cum diligentia tenendas censuerit, inde appareat, quod, quum decem illorum ducum causa ageretur, quamquam vulgo minas iactante, recusavit populum mittere in suffragia<sup>4)</sup>). Nimirum, quum contra leges esset omnes uno suffragio iudicari, se non facturum nisi, quod secundum leges esset, palam professus est<sup>5)</sup>). Neque alienum est hoc loco monere de ratione, qua Socrates in „Critone“ Platonis legum auctoritatem defendit. Quippe dicit ne tunc quidem, quum cui iniuria inferatur, legibus obsistere decere. Jam vero quum iustitia sit regalis illa virtus<sup>6)</sup>), qua civibus praecipue opus sit, eos, qui ad rem publicam administrandam se accingant, id spectare debere, ut cives quam optimos iustissimosque efficiant<sup>7)</sup>). Sed hanc rei publicae capessendae rationem neminem Athenis sequi ac ne illos quidem, qui maxime praedicentur, Themistoclem, Periclem, Cimonem, ad civium animos bene instituendos valuisse<sup>8)</sup>). Cuius rei hanc esse causam, quod homines non ea, qua par, cognitione et scientia instructi ad rem publicam accedant<sup>9)</sup>). Quare non mirum, si Socrates imprimis de Atheniensium comitiis non nimis honorifice iudicat<sup>10)</sup>). Etenim sub finem belli peloponnesiaci vulgi dominatio mirum quantum erat corroborata. Qui prudentiores essent neque omnia, quae vulgo viderentur, probarent, ii non modo irrisui et contemptui erant<sup>11)</sup>, sed etiam insidiis obnoxii.

Adumbravimus quam brevissime fieri potuit sententias, quas Socrates de rebus divinis secutus est. Convenire cum his Xenophontis sententias ideo par est, quod is magistri dilectissimi praecepta non modo accuratissime perspecta habebat, verum etiam vita comprobasse iudicandus est.

Accedemus tandem ad id, quod nobis propositum est, ac primum quidem examinabimus eos „Historiae Graecae“ locos, qui ad Xenophontis de divinis rebus sententias pertinent.

Ut Socrates, ita Xenophon persuasum habebat, deos omnia videre<sup>12)</sup>), ad omnes res humanas valere, ut omnia ex eorum numine pendeant. Itaque quidquid

<sup>1)</sup> IV. 2. 11 sqq.: οὐχ οἰότεγε ἄνευ δικαιοσύνης ἀγαθὸν πολίτην γενέσθω.

<sup>2)</sup> cf. Plat. Gorg. p. 507 B.: καὶ μὴ περὶ μέρη ἀνθρώπους τὰ προσήκοντα ποάττων δίκαιαν πράττοις περὶ δὲ θεοὺς δῖστα.

<sup>3)</sup> Mem. IV. 4. 15.

<sup>4)</sup> I. 1, 18 sqq.

<sup>5)</sup> Xen. Hell. I. 7. 16: οὗτος δὲ (scil. Σοκόδην) οὐκ ἔφη ἀλλ᾽ ή κατὰ νόμον ποιήσειν. cf. Mem. IV. 4. 3: καὶ δέ οἱ τριάκοντα προσέρεττον αὐτῷ παρὰ τοὺς νόμοντι, οὐκ ἐπείθετο.

<sup>6)</sup> ἀρετὴ βασιλικὴ Mem. 4. 2. 11.

<sup>7)</sup> Plat. Gorg. p. 503: — τὸ παρασκενάζειν ὅπως ὡς βέλτισται ἔσονται τῶν πολιτῶν εἰ ψυχαῖ.

<sup>8)</sup> Plat. Gorg. p. 503 B sqq.

<sup>9)</sup> Ut Mem. III. 6 ostendit Glauconem quamquam rerum publicarum plane imperitum tamen civitatis regendae appetentem esse.

<sup>10)</sup> Mem. III. 7. 6: ἐξ γὰρ τούτων ἀπάτων (sc. γραιγέων, σκανέων, τειτόνων, γαλκέων, γεωργών, ἔμπόρων κτλ.) ή ἐκκλησίᾳ συνίσταται.

<sup>11)</sup> Mem. III. §. 8. οὐ δοκοῦσί σον πολλάκις, οἱ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῶν ὁρθῶς λεγόντων καταγελᾶν.

<sup>12)</sup> Hell. VI. 5. 41: θεοὶ οἱ πάτα δρῶτες.

vel boni vel mali homini accidat, ad deos referendum est. Hanc Xenophontis sententiam pronuntiat Procles Phliasius, quem loquentem inducit<sup>1)</sup>. Is enim quum anno trecentissimo undeseptuagesimo a. Ch. n. ad societatem conciliandam Athenas esset missus, verba faciens in conceione quum alia tum haec dixit: ἔτι δὲ καὶ ἀπὸ τῶν θεῶν δέδοται ὑμῖν εὐτυχεῖν ἐν τούτῳ πλείστους γὰρ καὶ μεγίστους ἀγῶνας ἡγωνισμένοι κατὰ θάλατταν ἐλάχιστα μὲν ἀποτελεῖσθαι, πλεῖστα δὲ κατωφθάνει<sup>2)</sup>. Idem Procles in oratione Athenis habita ad commonendos Athenienses, ut subvenirent Lacedaemoniis contra Thebanos et Arcades haec profert<sup>3)</sup>: ὑμῖν δὲ τὸν ἐκ θεῶν τινος καιρὸς γεγένηται h. e. divinitus Atheniensibus facultatem oblatam Lacedaemoniis adiuvandi. Nec minus Elidenses, qui inusitata fortitudine cum Arcadibus confluxerunt, Xenophonti a diis confirmati fuisse videntur. Dicit enim eos tantam praestitisse virtutem, quantum deus quidem uno die pugnantibus impertire posset, homines autem ne longo quidem temporis spatio in ignavis excitare quirent<sup>4)</sup>.

Apparuit quoque iudice Xenophonte numinis divini providentia tunc quum Thebani Epaminonda duce ad Spartam proficiscerentur. Etenim, nisi Cretensis quidam sorte divina rem Agesilao detulisset, capturum fuisse Epaminondam urbem ut nidum defensoribus nudatum<sup>5)</sup>

Ut autem omnia bona diis auctoribus fiant, ita etiam mala ex eorum numine proficiuntur: quippe ut bella inter homines oriantur deorum fatis constitutum est<sup>6)</sup>. Quae quum ita sint, hominum est ea mala, quantum in iis est, imminuare et levare: itaque bellum non inconsiderate, sed cunctanter incipiendum et quam celerrime conficiendum est. Prospiciunt autem dii non modo bonis, ut feliciter vitam transigant, sed etiam malorum curam gerunt, ut iustas poenas dent<sup>7)</sup>. Et insigne documentum, quam minime dii negligant impios et iniustos, hoc Xenophonti videtur, quod Lacedaemonii, qui urbium Graecarum libertatem se servaturos polliciti et iurati contra ius fasque Cadmeam occupaverant, invicti antea Thebanis succubuerant. Atque etiam in eo numinis divini vis et iustitia conspicua est, quod ad dominatum eorum, qui Lacedaemonios in urbem introduxerant — ipsi scilicet per eos rerum potituri — destruendum viri septem suffecerunt. Ac si quis deorum iram excitavit, eius poenas dii accelerant. Cuius rei exemplum est, quod Hell. VI. 4. 1. sqq. exhibetur: Lacedaemonii cum Atheniensibus pace facta dimiserunt ceterorum opidorum praesidia, unum Cleombrotum cum exercitu in Phocide manere iusserunt, ut scilicet Thebas proficisceretur. Et quum Prothous Lacedaemonius optimum sibi

<sup>1)</sup> Hell. VII. 1. 2—11.

<sup>2)</sup> §. 5. cf. ibid. §. 6: ἔπει δ' ὁ θεὸς ἕδωκε ποτε αὐτοῖς κατὰ θάλατταν ἐπικρατῆσαι κτλ. et §. 9: ἔτι δὲ καὶ ὁ θεὸς αὐτοῖς δέδωκεν, ὥσπερ ὑμῖν κατὰ θάλατταν εὐτυχεῖν, οὗτος ἐκείνοις κατὰ γῆν.

<sup>3)</sup> VI. 5. 41.

<sup>4)</sup> Hell. VII. 4. 32: ἀπῆλθον εἰς τὸ ἄστυ τοιοῦτοι γενόμενοι, οἵους τὴν ἀρετὴν θεός μὲν ἀν ἐμπτεύσας δόνται καὶ ἐν ἡμέρᾳ ἀποδεῖξαι, ἀνθρώποι δ' οὐδὲ ἀν πολλῷ χρόνῳ τὸν μὴ ὄντας ἀλκιμονος ποιήσειαν.

<sup>5)</sup> Hell. VII. 5. 10.

<sup>6)</sup> VI. 3. 6.

<sup>7)</sup> V. 4. 1: πολλὰ μὲν οὖν ἀν τις ἔχοι καὶ ἄλλα λέγειν καὶ Ἑλληνικὰ καὶ βαρβαρικὰ, ὡς θεοὶ οὐτε τῶν ἀσεβούντων οὐτε τῶν ἀρόσια ποιούντων ἀμελοῦσιν.

<sup>8)</sup> ibid.

videri dixisset, si exercitu dimisso Thebani alicuius civitatis libertati insidiarentur, tunc collecto exercitu eos petere — ita enim et deos fore proprios et ceteras urbes minime aegre laturas, — consilium eius non sunt secuti. Nam, inquit Xenophon, numen divinum eos iam agebat, videlicet ut bellandi cum Thebanis facultatem nacti clade sua superiores iniurias fuerent.<sup>1)</sup> — Atque etiam in rebus, quae minoris momenti videntur, Xenophon numinis divini vim ac potentiam palam fieri iudicat. Cuius rei exemplum legitur Hell. VII. 4. 1—13: Anno trecentesimo sexagesimo sexto Arcades Lycomede quodam auctore societatem inierunt cum Atheniensibus. Quo facto Lycomedes domum rediens δαιμονώτατα moritur. Nave enim conducta, qua, ubi vellet, exponeretur, ipse in seius eo appellare gubernatorem iussit, ubi exules factionis Lycomedi adversae erant. In eorum igitur insidias lapsus Lycomedes moritur.

Jam vero quum omnia penes deos sint neque quidquam iis invitatis fiat, etiam ii, qui cuiusque rei eventum ad deos referunt, e sententia Xenophontis agere iudicandi sunt. Itaque Xenophon, quum homines loquentes inducit, haud raro verba, quae eam sententiam exprimant, iis tribuit. Ut Teleutiam, Lacedaemoniorum ducem, qui ad classem missus erat, his verbis suos cohortantem facit: «ὦ ἄρδες στρατιῶται, ἐγὼ γρήματα μὲν οὐκ ἔχω· εἰσὶν μέρη τεσσάρα εὐθελη̄ . . . πειράσομαι τὰ ἐπιτίθεια ὧν πλεῖστα πορίζειν»<sup>2)</sup>.

Non abhorret ab hac ratione, quod Thrasybulus suos deorum auxilio confidere iubet<sup>3)</sup>. Atque quod Lacedaemonii cum Arcadibus decertatur dicunt se passuros esse, quidquid deo acceptum sit,<sup>4)</sup> id ad Xenophontis ingenium quadrare par est. Hanc eandem sententiam Euryptolemo decem illos duces defendantem tribuit, quum eum proficientem faciat ferenda esse, quae divinitas mittantur<sup>5)</sup>

Omnia igitur secundum deorum voluntatem et evenire et perficienda esse videmus. Et hanc quidem voluntatem dii non ablatam sensibus nostris esse voluerunt, sed sunt certa quaedam signa ac miracula, quibus, quid eventurum sit vel fieri velint, animum advertentibus indicant. Quibus indiciis Xenophon tantam fidem habebat, ut, si qua res evenerat, hunc ipsum eventum illis signis antea indicatum esse iudicaret. Cuius rei exemplum exstat Hell. lib. VII. 1. 30: Cissidas, dux Sieulorum, qui Lacedaemoniis auxilio venerat, cum profecionem pararet, hostes eius redditum intercludere conabantur. Archidamus Cissidae auxilio contendens suorum animos confirmat. Sereno coelo fulmen defertur et tonitru auditur prosperum eventum indicans. Et profecto hostes incredibili clade ab Archidamo affecti sunt salvis omnibus ad unum Lacedaemoniis. — Tota expositionis ratio ostendit Xenophontem minime dubitasse, quin fulmine illo ac tonitru rei gerendae eventum dii indicavissent.

Lib. III. 2. 24 narratur Agide Elidem incursionem faciente terrae motum accidisse. Jam si his Xenophon addit Agidem, quod divinitus id missum putaret

<sup>1)</sup> Hell. VI. 4. 3. ἥδη γάρ, ως ἔοικε, τὸ δαιμόνιον ἤγει.

<sup>2)</sup> Hell. V. 1. 14.

<sup>3)</sup> Hell. II. 4. 14. sqq.

<sup>4)</sup> Hell. VII. 4. 9.

<sup>5)</sup> Hell. I. 7. 33: ἀττὶ δὲ τῷ εἰς θεοῦ ἀράγοντι.

discessisse, ei ipsi quoque ita visum par est<sup>1)</sup>). Quae cum ita sint, non dubium est, quid statuendum sit de loco lib. VI. 4. 7. Ibi enim prodigia referuntur, quibus Thebani ante pugnam Leuctricam confirmati esse dieuntur. De quibus haec memorantur: *οἱ μὲν δὴ τινες ἐλεγον, ὡς ταῦτα πάντα τεχνάσματα ἦν τῶν προεστηκότων.* Sed Xenophontem ipsum idem sensisse nobis quidem parum videtur probabile. Quum enim in toto illo bello inter Thebanos et Lacedaemonios exorto id Xenophonti maxime memorabile videretur, quod Lacedaemoniorum superbia et iuiuria castigata esset<sup>2)</sup>), minime a verisimilitudine abhorret eum credidisse deos utpote Thebanis propitios, quo eos confirmarent, prodigiis prosperum pugnae eventum indicasse. Prodigium id quoque Xenophonti videbatur, quod Aleibiades ea die, qua Athenienses τὰ Ηλυσία agebant, domum rediit. Dicit enim fuisse, qui id improsperum et ipsi et civitati iudicarent. (Hell. I. 4. 12).

Quum autem vita nostra secundum voluntatem divinam sit instituenda atque dii ad voluntatem suam perspiciendam aditum non intercluserint, nostrum est de quavis actione, cuius eventus incertus et non penes homines sit, deos consulere. Itaque ante omnia oracula deorum adeunda eorumque anerioritati confidendum putabat. Ut autem Socrates de iis tantum rebus, quae, quo eventurae essent, incertum esset, deos consulendos arbitrabatur<sup>3)</sup>), ita etiam Xenophon iudicavit. Apparet id e loco VII. 2. 20: Quum Phliasiorum exsules ab Eleorum Arcadumque manu adjuti Phlianta oppugnarent, Phliassii Charetem ducem suum deos consulere iubent, si quid ei ambiguum videatur.

Ex his consentaneum est improbasse Xenophontem, si qui deos consulere de rebus dubiis supersedissent. Atque etiam si non aperte eiusmodi negligentiam vituperat, tamen, ubi usu venerit, memorat, ut quale ipsius de ea re fuerit iudicium, non in medio relinquatur. Conferendus est in hanc sententiam locus, qui legitur lib. VII. 1. 27: „Philiscus Abydenus Thebanos et Lacedaemonios Delphos convocat pacem inter eos conciliaturus. Neque tamen qua ratione pax fieret, deum consulerunt, sed ipsi deliberaverant“.

Nec minus cura gerenda est sacrorum, quibus nobis deos propitios facimus eorumque voluntatem exploramus. Itaque Xenophon nunquam omittit facere mentionem, si quis ante rem graviorem suscipiendam sacra fecit, sed diligentissime id semper adnotat. Ex magno locorum numero satis erit de his monuisse: Hell. III. 4. 3: Agesilaus in Asiam profecturus sacra facit (*τὰ διαβατήρια*), ut felicem sibi transitum dii praeveant. VI. 4. 19: Archidamus, antequam in Boeotiam pergeret, ἔθνετο ἐπὶ τῇ διαβάσῃ. cf. etiam VI. 5. 12., VI. 5. 17 et 18., item VI. 2. 20: σφαγασμάτων οἱ Λακεδαιμόνιοι τῇ ἀγροτέρῃ κτλ.

Impium est, quum sacra infausta sint, tamen rem propositam suscipere. Propterea lib. III. 3. 4. bis ac ter immolat Agesilaus, dum sacra secunda eveniant, et (III. 4. 15) victo Tissapherne in Cariam profecturus, quum sacra infausta sint, ad mare reddit.

<sup>1)</sup> cf. IV. 7. 2., ubi terrae motus a numine divino effectus dicitur, qui deorum voluntatem indicaret.

<sup>2)</sup> vide Hell. VI. 4. 1.

<sup>3)</sup> vide Xen. Mem. I. 1. sqq.

Et si quis quamquam improsperis sacris tamen a conatu suo non destitit, non effugit is impietatis poenam. Documento est Anaxibius, Lacedaemoniorum dux, qui sacris improsperis h. e. diis invitatis contra Iphiceratem proficiscitur. Qui quod in Iphieratis insidias inlapsus moritur, id Xenophon ad impietatem illam et neglectionem deorum referendum esse censem.

Quum haec fuerit Xenophontis sententia de sacris faciendis, consentaneum est eum, si quando in sacra facientes peccatum sit vel si sacra prohibita sint, id non silentio praetermittere. Memorabilis est in hanc sententiam locus III. 4. 3. sq: Agesilaus per Boeotiam iter faciens, antequam Asiam peteret, Aulide, ubi Agamemnon quondam immolaverat, sacra erat facturus. Quod quum boeotarchis esset nuntiatum, equitibus missis sacra facere eum vetuerunt et sacrificii ministros ab ara abripuerunt. Quare Agesilaus deos testatus navem concendit.

Alius de simili re locus est III. 2. 20: Agidem, Lacedaemoniorum regem, ex oraculo quodam Jovi sacra facientem Elei impediverunt. Quam ob rem Lacedaemonii eos ad sanitatem redigere (*σωφορίζειν*) constituerunt. Haec ipsa vox non sine causa a scriptore usurpata est. Nam qui *σωφορίζεται*, is antea *ἀφρων* fuerit necesse est. Itaque Eleorum insanias, qua deorum cultum erant prohibituri, acerbe hoc vocabulo castigatur.

Exposuimus fere, quae de deorum cultu placita Xenophon secutus sit. Sed non unis sacris hominum cum diis ratio continetur. Id ante omnia agendum est, ut diis placeas. Quod non potest effici, nisi si iustus erga homines et pius erga deos sis. Quorsum referendum est, quod II. 3. 53 graviter notatur tringita tyranorum iniustitia et improbitas imprimisque iniustum supplicium de Leonte Salaminio snmptum (III. 3. 39). — Ideo etiam in oratione, quam Eryptolemo Xenophon tribuit, Athenienses inbet εὐσεβοῦντας καὶ εὐοχοῦντας τῷρευ illos decem duces, (I. 7. 29), damnationemque eorum nefas esse ibidem (§. 19) profitetur. Contra (VI. 5. 45) praedicantur Athenae ut quae omnes, quibus iniuria inflata sit, benigne excipient.

Est autem summopere servandum iusiurandum et fides alicui data. Thrasybulus (II. 4. 42) cives monet, ut piis se praestent et iusiurandum servent. — Neque etiam ob causam nisi ob fidem servatam Phliasi, quorum exigua ceterum erat auctoritas, digni laude Xenophonti videntur. Quippe quamvis post pugnam Leuctricam omnes fere socii a Lacedaemoniis deficerent, Phliasi in maximis discriminibus Lacedaemoniis fidem servarunt. (VII. 2. 19. sqq.)

Quod si ita ages, ut nihil unquam iniusti committas, deos tibi propitios et socios facies. Id pronuntiatur III. 4. 5. sq: Agesilaus, postquam in Asiam venit, rogante Tissapherne pacem cum eo iniit. Tissaphernes autem statim pace facta fidem fecellit. Sed Agesilaus, quamquam id sentiens, tamen in iis, quae iuraverat perseveravit. Atque quum Tissaphernes accitis a rege copiis aperte Agesilao bellum inferret, is hilari vultu ei nuntiari iussit magnam se ei gratiam habere, periurio deos sibi inimicos, Graecis socios fecisset.

Quanta autem iusti et pii hominis fiducia sit, etiam clarius pronuntiatur III. 4. 18: Agesilaus exercitu Ephesum coacto hanc urbem magnorum castrorum instar effecerat. Omnibus, quae exercitui opus essent, diligentissime providerat Agesilaus. Atque etiam, inquit Xenophon, hoc magnam fiduciam iniiciebat, quod et Agesilaum et milites in deorum honorem coronis cinctos videre poteras. Nam

ubi homines rerum bellicarum studiosi deos colunt, nonne summam bonorum spem ibi esse par est?

Contra, ubi qua impietas in deos usu venit, ne hoc quidem omittit Xenophon memorare et si non aperte, at tamen tecte castigare. Ita VII. 3. 8. Euphronis sacrilegia notantur: «παραλαβὼν μὲν γὰρ τὰ ιερὰ μεστὰ καὶ λονσῶν καὶ ἀργυρῶν ἀρθημάτων καὶ πάντων τούτων ἀπέδειξεν».

Itaque hoc quoque Xenophonti magnopere probatur, quod, quum Arcadum duces sacris pecuniis ad bellum gerendum uterentur, obstiterunt primi Mantinenses dicentes non decere liberis hanc in deos impietatem relinquere (VII. 4. 34).

Et plane apertam impietatis damnationem cernere licet in iis, quae IV. 4. 1 sq. leguntur. Corinthii, Argivi, Athenienses cum Lacedaemoniis bellum gerentes quum viderent magnam suorum partem pacis appetentem esse, ne urbs sua iterum a Lacedaemoniorum partibus stare inciperet, veriti caedem adversariorum facere constituerunt. Qua in re hoc maxime condemnat Xenophon, quod ne die festo quidem eiusmodi atrocitate abstinuerint: IV. 4. 2: «τὸ πάντων ἀνοσιώτατον ἐβούλευσαντο· οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι, καὶ τόμῳ τις καταγροσθῆσθαι, σὺν ἀποκτυνόντων ἐν ἑορτῇ». Atque quum adversarii ad deorum aras ac simulacula configissent, ne ibi quidem iis partitum esse conqueritur. Eos, qui ad scelus commiserant, appellat τοὺς ἀνοσιωτάτους καὶ παντάπασιν οὐδὲν τόμιον φρονοῦντας.

Ut autem impietas in deos gravissime notatur, ita etiam hominum proditio quam maxime damnatur et summa inimicitia præferenda esse indicatur. (II. 3. 29).

Qui pius est erga deos et iustus in homines, eum a superbia abhorrere par est. Quam ut caveamus Xenophon nos hortatur, quum dicit deum haud raro magnos ex altitudinis fastigio deiicere, parvos autem extollere<sup>1)</sup>. Similis est sententia ei, quae est apud Herodotum VII. 31: ut fulmina in altissimas plerumque arbores deferantur, ita numen divinum homines fastu elatos saepe in præceps deiicere.

Expositis tandem locis, qui ad illustrandam Xenophontis sententiam de rebus divinis pertinent, quod fuerit Xenophontis de rebus publicis iudicium, locis in medium proferendis explorare conabimur. Et in hanc quidem sententiam satis multi Xenophontem notarunt, quod nimium Lacedaemoniorum præ se ferret, populares autem suos, si non odisset, at certe despiceret. Sed eius modi iudicium, cuius praeter ceteros Niebuhr auctor exstitit, iniustum est.

Quamquam maxime negamus Xenophontem ab Atheniensium republica alieniorem, Lacedaemoniorum contra rei publicae amantissimum fuisse, tamen multum abest, ut eum tam iniuste, quam isti volunt, de Atheniensibus iudicasse putemus. Nam si hic illie paulo durius fortasse Athenienses notaverit, reputandum est eum et ipsum fuisse hominem humanorum vitiorum non expertem. Quod autem vulgi dominationem, quae tunc obtinebat, admiratione et amore non sit amplexus, id, si ei vitio damus, arguendi erunt permulti alii viri, qui non minus quam ipse Atheniensium rei publicae formam, quae tunc erat, adspersati sunt. Et habebat profecto

<sup>1)</sup> VI. 4. 23: καὶ ὁ θεὸς δέ, ως ἔστι, πολλακις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους ποιῶν, τοὺς δὲ μεγάλους μικρούς.

Xenophon, quod civibus suis irasperetur. Nam ipse sine iusta causa patria expulsus erat et magistrum dilectissimum eundemque sapientissimum sanctissimumque virum ad mortem trudi viderat. Si igitur quidam irae aculeus in pectore eius remanserat, quid mirum? Ceterum non potest demonstrari eum de industria quodvis Atheniensium institutum vituperasse, Lacedaemoniorum autem peccata omnia silentio praetermissee.

Lustrabimus nunc singulos locos, quibus aliqua de rebus publicis sententia pronuntiatur ac primum quidem de Atheniensibus videbimus. Quo nos effecturos esse speramus, ut appareat, quibus causis Xenophontis erga Lacedaemonios studium Atheniensium neglectio contineatur.

Nemoratu dignus est locus Hell. I. 7: Duces, qui ad Arginusas vicerant, accusantur, quod naufragos non collegerint. Xenophon, sine dubio e sua sententia eos defendens, rem ita proponit, ut ab omni culpa liberi adpareant.<sup>1)</sup> Graviter notat Xenophon, quod iis non secundum legem tempus ad se defendendos concessionem sit.<sup>2)</sup> Enarrantur machinationes, quibus, qui a Theraminis partibus stabant, perficere conabantur, ut duces illi omnes uno suffragio iudicarentur. Quod quem contra leges esse Euryptolemus et alii contendenter, conclamasse vulgum ait horribile esse, quod populus vetaretur facere, quid sibi videretur.<sup>3)</sup> Quin etiam minatus est vulgus, nisi actione desisterent, et ipsos eadem ratione in ius vocatum iri.<sup>4)</sup>

Prytanes inviti coacti sunt permittere, ut populi suffragium fieret. Unus adversatus est Socrates. — Pertinet tota haec narratio ad ingenium δημοκρατίας depingendum, a qua quam alienus Xenophon fuerit, apparet ex oratione, qua Euryptolemus ducum illorum causam agentem inducit. Invehitur autem in iniustum istud populi indicium his causis proferendis: Iniustum esse et abhorre a lege Cannoni, si omnes una indicentur. Imo singulos oportere iudicari. Ita enim eos poenas datros, qui sontes sint, insontes liberatum iri.

Ut decem illi duces abiectissima machinationum ratione perierunt, ita Xenophon Atheniensium rempublicam etiam propterea notat, quod in ea tantum fieri potuerit, ut genus delatorum adeo floreret et delatione quaestum facheret.<sup>5)</sup>

Lib. II. 3. 25 Xenophon Atheniensium δημοκρατίαν gravem rei publicae formam esse indicat neque eam, quae Lacedaemoniis amica esse possit. Simili ratione paulo post in ratione Therameni tributa Lacedaemonii cuivis rei publicae formae plus fidei habere dicuntur quam vulgi dominati (II. 3. 45). Inde quid Xenophon de Atheniensium δημοκρατίᾳ iudicaverit, adparet, quum ipse Lacedaemoniorum instituta admiratus sit. Neque tamen omnino Xenophon a δημοκρατίᾳ abhorrebat, sed ab ea prudenter moderata minime alienum eum fuisse docent, quae Theramenem dicentem facit (II. 3. 48): neque omnium dominationem sibi probari nec paucorum

<sup>1)</sup> I. 6. 35: ἀγεμος καὶ χειμῶν διεκάλυσεν αὐτοὺς μέγας γενόμενος.

<sup>2)</sup> I. 7. 5: οὐ γὰρ προντέθη σφίσι λόγος κατὰ νόμον.

<sup>3)</sup> I. 7. 12: τὸ πλῆθος ἐβόα δεινὸν εἶται, εἰ μήτις ἔάσει τὸν δῆμον πράττειν, οὐ ἀρ βούληται.

<sup>4)</sup> I. 7. 13: τῇ αὐτῇ ψήφῳ κρίνεσθαι ἡπερ καὶ τὸν στρατηγούς, εἰὰν μὴ ἀρδσι τὴν κλῆσιν, ἐπεθορύβησε πάλιν ὁ ὄχλος.

<sup>5)</sup> II. 3. 12: οὐς πάντες ἤδεσαν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἀπὸ συνοφαρτίας ζῶντας καὶ τοῖς καλοῖς κάγαθοῖς βαρεῖς ὄντας.

regimen, sed eam rei publicae formam, in qua cives, prout civitati utiles fieri possint, eius administrationis participes sint.

Ubi autem vulgi exstitit dominatio, ibi non ratio omnia moderatur, sed animi affectus et perturbatio, quippe quum vulgus paucis ducibus, qui nihil nisi suum commodum sectantur, plane confidat atque obsequatur. Huc id spectat, quod Xenophon obiectat Atheniensibus, quod Lacedaemoniorum socios superbe vexaverint quamquam nulla ab iis inlata iniuria nisi quod ab Lacedaemoniorum partibus starent.<sup>1)</sup> —

Addemus his locum IV. 8. 31, quem etiam Niebuhr ad arguendum Xenophonem protulit. Ibi enim de Thrasybulo dicuntur haec: *καὶ Θρασύβολος μὲν δὴ μάλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι οὐτως ἐπελέντησε.* Haec propterea offenderunt, quod Thrasybulum, qui Athenas a triginta tyrannorum dominatione liberaverat atque iterum δημοκρατίαν instituerat, Xenophon dicit bonum virum modo visum esse. Id quamquam alii ita expediverunt, ut putarent Thrasybulum non tanti ab aequalibus quanti a posteris esse aestimatū, tamen nobis illud Xenophontis iudicium inde profectum videtur, quod ipse vulgi dominationem a Thrasybulo redintegratam aspernatus est.

Haec fere sunt, quae de Atheniensium republica Xenophon in „Historia Graeca“ monuit, non honorifica ea, sed eiusmodi, ut ostendant non iniuria durius Xenophontem de Atheniensibus iudicasse. Nunc transibimus ad ea, quae de Lacedaemoniorum re publica in medium proferuntur.

Habebat prefecto Xenophon, cur Lacedaemoniorum rem publicam magni faceret et laudibus extolleret, non modo quod ipse huius civitatis beneficiis erat obstrictus — etenim expulsum eum Athenis exceperant et Scyllunte praedium ad habitandum concesserant — verum etiam quod Lacedaemoniorum rei publicae forma digna admiratione erat. Ad eam Spartae admirationem Xenophon sine dubio vulgi dominatu, qui tunc Athenis vigebat quique et per se intolerabilis et Lacedaemoniorum rei publicae contrarius erat, adductus est. Quid mirum, si hominem, cuius et ingenium haud exiguum et mores humanitate et cultu perpoliti erant, magnopere taedebat, quum immoderata vulgi licentia civitatem ad interitum ruere omnemque legum auctoritatem evanuisse videret? Nonne par est eum cum desiderio illam circumspexisse rempublicam illamque praedicasse, in qua leges in summa auctoritate essent quaque non minus rerum gestarum gloria et consilio quam iustitia et probitate excelleret? Eae vero virtutes in quam aliam tunc temporis civitatem conveniebant nisi in Spartanorum rempublicam? Inde igitur explicandum est, quod Xenophonti Sparta ut rei publicae exemplar obversata est et quod ipse magna cum diligentia, quae ad Spartanorum gloriam facerent, adnotavit.

Lib. II. 3. 34 Lacedaemoniorum res publica pulcherrima indicatur, in qua nemo audeat legibus et institutis adversari. Quod qui faciat, eum, etiamsi ephorus sit, summo ab universis civibus suppicio adfici. Legum obsequii enarratur exemplum V. 2. 1—7: Mantinenses moenia urbis suae destruere et in singulis vicis habitare coacti sunt (anno 385 a Ch. n.). Populi duces et qui ab Argivorum partibus ste-

<sup>1)</sup> Hell. II. 2. 10: *διὰ τὴν ὑβριν ἡδίζουν ἀνθρώπους μικροπολίτας οὐδ' ἐπὶ μιᾷ αἰτίᾳ ἐτέρῳ ἢ ὅτι ἐκείνοις (τοῖς Λακεδαιμονίοις) συνεμάχουν.*

terant, urbem relinquunt. Lacedaemonii viis utrimque obsessis per medium egredientes eos non laeserunt. Cui narrationi haec subiunguntur: „καὶ τὸν μὲν εἰρήσθω μέγα τεκμήριον πειθαρχίας.“

Neque tamen id modo Lacedaemonii spectabant, ut domi iuste ageretur, sed etiam, quod aliorum saluti providerint, laudi iis dandum est. Nam urbes Asiae a Persarum iugo in libertatem vindicatae feliciter degisse dicuntur (III. 2. 9). Quod imprimis Agesilai merito ita evenisse constat. Et hunc quidem Agesilaum, cui ipse erat familiaris quemque per Asiam proficiscentem comitatus erat, tantopere Xenophon admiratus est, ut eum regis omnibus partibus numerisque absoluti exemplar proposuisse videatur. Summo enim cum studio in iis, quae ad Agesilaum pertinent, enarrandis moratur neque quidquam, quo eius laus augeatur, adnotare omittit.

Iam, ut pergam, unde deflexit oratio, praedicatur iustitia et magnanimitas Lacedaemoniorum, qui ne infestissimam quidem urbem ad servitutem redigere et plane exscindere voluerint, memores, quam bene Athenienses bellis Persicis de universa Graecia meriti essent.<sup>1)</sup>

Etiam VI. 1. 8. laudatur Lacedaemoniorum sincerus ac simplex animus: Polydamas enim Pharsalius Lacedaemonem venerat auxilium adversus Jasonem petiturus. Lacedaemonii tunc bello Thebanorum occupati respondent se ei in praesentia non posse satis magno auxilio subvenire, sed res urbis Pharsali eum quam optime administrare iubent. Et eum quidem dicit Xenophon collaudata urbis simplicitate discessisse.

His igitur locis de moribus Lacedaemoniorum monetur. De strenuitate autem et rerum gerendarum studio videndus est locus V. 1. 16: Teleutiam enim, Lacedaemoniorum ducem, quem hominem non mediocri prudentia proponit, profitentem facit Lacedaemoniorum rem publicam videri felicem, quae suscipiendis et laboribus et periculis omnia bona sibi pepererit.

Sed non modo ea, quae laude digna sunt in Lacedaemoniis, Xenophon profert, verum etiam ea, quae notanda sunt, memorat. Imprimis hue pertinet locus VI. 3. 7. sq., ubi vitio datur Lacedaemoniis, quod urbium libertatem ipsi non servent, quum tamen alias id facere iubeant. Ac si quis moneat haec verba non Xenophontem ipsum proferre, sed oratori Lacedaemoniis adverso Autocli Atheniensis tribuere, reputet is, quam graviter Xenophon ipse (V. 4. 1) castigaverit, quod Lacedaemonii contra ius fasque Cadmeam occupassent et Thebanos libertate privassent. Id adeo Xenophon condemnavit, ut quod postea Lacedaemonii Thebanis succubuerunt, id ad iniurias illas luendas divinitus inrogatum esse putaret. His omnibus consideratis fatendum est Xenophontem quamquam rei publicae Lacedaemoniorum amantem non tam iniuste, quam plerique volunt, de Atheniensium republica iudicasse.

Tractavimus igitur eos „Historiae Graecae“ locos, unde ad cognoscendas Xenophontis sententias de rebus divinis et publicis aliquid lucis affundi putamus. Hominem autem tam certi tamque expressi ingenii, quam Xenophontem fuisse constat, non alibi alia de iisdem rebus iudicia protulisse par est. Et profecto etiam in reliquis operibus historicis Xenophon eadem sentientem se praebet. Quod ut

<sup>1)</sup> III. 2. 10: Λακεδαιμόνιοι δὲ οὐκ ἔφασαν πόλιν Ἑλληνίδα ἀνδραποδεῖν μέγα ἀγαθὸν εἰργασμένην ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις γενομένοις τῇ Ἑλλάδι.

probemus, ea, quae ex „Hellenicorum“ lustratione hausimus, summatim proponemus eos Anabaseos et „Cyropaediae“ locos, quibus similes vel eadem de rebus divinis publicisque sententiae leguntur, subiicientes. Ac primum quidem de rebus divinis disseremus.

Redeunt autem Xenophontis sententiae in „Hellenicis“ prolatae fere hoc:

I. „**Deos omnia regentes hominibus imprimis prospicere, e deorum voluntate omnia pendere, bona malaque homini accidere.**“ Cf. Anab. I. 4. 18: Quod Cyri exercitus Euphratem transgressus est, qui alias nisi navibus traici non poterat, id Xenophonti divinum videtur. Similem pronuntiat sententiam. „**De vectigalibus I. 5: καὶ μὴν Ἀττικὴν ὑπάρχονδός ἔστι σαρῶς θείῃ μοίρα.**“ Anab. II. 5. 7: Clearchus cum Tissapherne colloquens gravissima verborum cumulatione deorum potentiam effert: **πάντη γὰρ πάντα τοῖς θεοῖς ὑπόχα καὶ πανταχῷ πάντων ἵστοι οἱ θεοὶ κρατοῦσιν.**

II. „**Iniustorum poenas deos non negligere,**“ Cf. Anab. II. 6. 19: Menon, cuius mores Xenophon acerbe exagitat et castigat, non tam celeri ac facili morte quam Clearchus aliquique duces capti a Tissapherne, quorum capita decisa sunt, obiisse, sed per totum annum cruciatus turpiter exspirasse dicitur. Tota expositionis ratio et placita Xenophontis, quorum supra fecimus mentionem, haud dubie evincunt ei id supplicium non casu, sed a deorum numine obtigisse Menoni visum esse.

III. „**Cuiusque rei eventum ad deos referendum esse.**“ Cf. Anab. III. 1. 23: Prodictione a Tissapherne perpetrata Xenophon Graecos, ne animis deficerent, confirmans victoriam penes deos esse dicit: **ἢν οἱ θεοὶ ὥσπερ τὸ προσθετὸν νίκην ἡμῖν διδῶσιν.** III. 1. 42: **ἐπίστασθε γὰρ δή, ὅτι οὐτε πλῆθός ἔστιν οὐτε ισχὺς ή ἐν τῷ πολέμῳ τὰς νίκας ποιοῦσα, ἀλλ᾽ ὄποτεροι ἀν τὸν τοῖς θεοῖς ταῖς ψυχαῖς ἐξόμενέστεροι ἰστιν ἐπὶ τὸν πολεμίους: τούτους γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ οἱ ἀντίοι οὐ δέχονται.**

IV. „**Deorum auxilio confidere oportere.**“ Anab. II. 3. 23: Clearchus dicit: Si rex nobis iniuriam inferet, conabimur nos diis iuvantibus (**σὺν τοῖς θεοῖς**) defendere.

Anab III. 1. 21: ipse Xenophon suos boni animi esse iubet. Nam **οἱ θεοὶ σὺν ἡμῖν, ὡς τὸ εἰκός, ἔσονται.** Ibidem §. 22 sic pergit: „Quum nos iuriandum servaverimus, licet nobis maiore deorum fiducia manus conserere: **ἔχομεν δὲ καὶ ψυχὰς σὺν τοῖς θεοῖς ἀμείνονας.**“

Et paullo post (III. 2. 8.) quum iam esset dux a Graecis creatus, haec dicit: **σὺν τοῖς θεοῖς πολλαὶ ὑμῖν καὶ καλαὶ ἐλπίδες εἰσὶ σωτηρίας.**

V. **Quae divinitus mittantur, ferenda esse.**“ Anab. III. 2. 6. Cleanorem Orchomenium quum alia tum haec dicentem Xenophon facit: **»ἡμᾶς δὲ δεῖ ταῦτα ὁρῶντας μήποτε ἐξαπατηθῆναι ἔτι ὑπὸ τούτων, ἀλλὰ μαζομένοις ὡς ἀν δυνάμεθα κράτιστα τοῦτο ὅτι ἀν δοκῇ τοῖς θεοῖς πάσχειν.**

VI. „**Deos voluntatem suam signis indicare.**“ Anab. III. 1. 11 sqq. somnium enarratur, quo Xenophon deos se confirmasse credidit, ut exercitu ducento rebusque eius administrandis prospiceret. Cui somnio quantam Xenophon habuerit fidem, cernere licet e verbis his: **»ὅποιόν τι μέν δή ἔστι τοιοῦτον ὥρας ἴδεῖν, ἔξεστι σκοπεῖν ἐκ τῶν συμβάντων μετὰ τὸ ὥρας,**“ Anab. III. 2. 9: Postquam Xenophon suos diis fidere iussit, sternuit aliquis ex militibus. Quod et Xenophon et reliqui ut omen accipientes Jovis Sospitis auxilium implorarunt et Xenophonte auctore sacra fecerunt.

VII.: „**In rebus dubiis deos consulendos esse.**“ Cyrop. I. 6. 5 et 23: Quod Socrates docuerat (cf. Comm. I. 1. 9.) de iis tantum rebus, quas homines ipsi scire

vel discere non possent, deos adeundos esse, id hoc loco Cambysi tribuitur: «*δῆλοι, ἔφη, ὁ πᾶς, ὅτι οὐ μὲν εἰστι μαθόντα εἰδέναι . . . . οὐτε δὲ ἀνθρώποις οὐτε μαθητὰ οὐτε προορατὰ ἀνθρωπίῃ προνοίᾳ, διὰ μαντικῆς ἀν παρὰ θεῶν πνυθμανόμενος φροντιώτερος ἄλλων εἶης».* Quapropter Xenophon ipse, antequam ad Cyrum proficisceretur, Socrate auctore Apollinis oraculum consuluit. De qua re copiose disputat Anab. III. 1. 4. sqq.

**VIII. Ante graviorem rem suscipiendam sacra diis facienda esse.** Itaque Xenophon haud facile memorare omittit, si quando sacra a ducibus res gesturis facta sunt. VI. 5. 21 ipse militum animos cohortatur, quippe quum sacra et omnia fausta sint. Contra II. 2. 3 Clearchus, quod sacra improspera sint, contra regem se profecturum negat. Et adeo Clearchus de sacris non dubitat, ut dicat ea ideo non fausta esse, quod medius interfluat Tigris, quem transire nequeant.

**IX. Justitiam et pietatem colendam, insiurandum summopere servandum esse, iustum et pium deos socios habere.** — Anab. II. 5. 7 sq: Clearchus cum Tissapherne colloquens: „Qui deorum iusiurandum, inquit, neglexerit, eum ego nunquam beatum praedicaverim. Nam si quis diis hostibus utatur, nescio, qua is celeritate aufugere queat aut quas in tenebras aut quem in locum munitum.“

Ipse Xenophon Anab. II. 5. 41: »*δίκαιοι, inquit. ἀπόλληνσθαι τοὺς ἐπιοχοῦντας,*« Quamobrem etiam Anab. II. 4. 7 periurium Tissaphernis graviter notatur. — Anab. I. 9. 7 Cyrus laudatur, quod in nulla unquam re fidem fefellerit. Unde etiam factum esse, ut ei vel hostes fidem haberent.

Anab. I. 9. 7 Cyrus iustitiam tanti fecisse narratur, ut quos videret iustos se praestare, eos omni modo augere et locupletare studere. Quantopere sit Xenophon delectatus pietate et iustitia, ostendit locus Anab. II. 6. 26, ubi Menonis mores minime laudandos illos quidem describens haec quoque profert: »*ὅσπερ δέ τις ἀγάλλεται ἐπὶ θεοτεβείᾳ καὶ ἀληθείᾳ καὶ δικαιότητι κτλ.*«

Iniustos autem ac periuros deorum poenam effugere neutiquam posse Xenophonti persuasum erat. Itaque Anab. III. 2. 4 sq. regis Persarum periurio et improbitate notata, quippe qui non sit veritus illos duces praeter fidem datam circumvenire et caedere, haec adduntur: »*ἀλλὰ τούτους μὲν (scil. Persas) οἱ θεοὶ ἀποτίσαντο*«

**X. „Prodigionem dammandam esse et superbiam cavere oportere.“** Anab. II. 3. 22 dicit Clearchus se et deos et homines veritum Cyrum non prodidisse. Idem Clearchus Anab. I. 3. 5 militibus suis, ut progrediantur, persuasurus nunquam se eos proditorum esse affirmat: »*καὶ οὐποτε ἐρει οὐδεὶς, ὡς ἐγώ — προδόντος τοὺς Ἑλλήνας τὴν τῶν βαρβάρων φιλίαν εἰλόμην.*«

Ad locum denique Hell. VI. 4. 23, quo, ne nosmet ipsos extollamus, monemur, quadrant, quae Xenophon ipse verba apud milites faciens dicit: »*οἱ θεοὶ ιανοὶ εἰσὶ καὶ τοὺς μεγάλους ταχὺ μικρὸν ποιεῖν καὶ τοὺς μικροὺς, καὶ ἐν δευτοῖς ὥστι, σώζειν εὐπετῶς.*« (Anab. III. 2. 10.).

Videmus Xenophontis sententias de rebus divinis, quas in „Historia Graeca“ protulit, convenire cum iis, quae omnino in historicis eius libris leguntur. Et de publicis rebus si quaerimus, sufficiet sane monuisse de „Cyropaedia“. Iam supra diximus Xenophontem Lacedaemoniorum rei publicae fuisse amantissimum. Qui quum reversis decem illis milibus Graecorum patria expulsus familiaritatem iniisset cum Agesilao, par est eum in Peloponneso degentem satis accuratam rerum Lacedaemoniorum sibi comparasse notitiam. Quanto autem rei publicae Lacedaemoniorum studio

Xenophon inflammatus fuerit, ei rei quum alii loci tum totum „Cyropaediae“ opus est documento, in quo regis, qualem Xenophon informavit, imago non ad veritatem illa quidem exprimitur, sed talis exhibitur, ut quae potissimum verae rei publicae forma ei obversata sit, haud difficile perspiciatur. Namque et multa instituta Lacedaemoniorum, quae ad educationem, rem publicam et militarem pertinebant, praeter veritatem ad Persas translata sunt et ipsa Cyri maioris imago habet, quae ab Agesilao, quem regem Xenophon tantopere mirabatur atque aemulabatur, ducta esse patet.

De iis, quae priore loco posuimus, haec memoranda sunt: Persas sertis cinctos in aciem progredi (III. 3. 40), vestes eorum esse purpureas (VI. 4. 1), in prima acie duces solos constitui (III. 3. 57). Haec omnia apud Spartanos ita se habuisse constat. Pertinet huc etiam conviviorum apud Persas descriptio non abhorrens a Spartanorum φειδητοῖς (V. 2. 18) et quae de senectutis reverentia dicuntur (VIII. 7. 10).

Agesilaum autem Xenophonti veri regis exemplar obversatum esse quum alii „Cyropaediae“ loci tum hic docet: «καὶ ἐπὶ τῶν πράξεων δὲ, ἦν μὲν ἐν θέρει ὥστι, τὸν ἀρχοντα δεῖ τοῦ ἡλίου πλεονεκτοῦτα φανερὸν εἶναι, ἦν δὲ ἐν χειμῶνι, τοῦ ψύχους. (Cyrop. I. 6. 25). Conferas cum hoc loco Xenoph. Agesil. 5. 3: τὰδε μέντοι πλεονεκτῶν (Ἀγησίλαος) οὐκ ἡσχύνετο, ἐν μὲν τῷ θέρει τοῦ ἡλίου, ἐν δὲ τῷ χειμῶνι τοῦ ψύχους».

Sed hanc quidem in rem altius penetrare non opus esse arbitramur satisque nos docuisse confidimus, quae Xenophontis sententiae de rebus divinis et publicis in „Historia Graeca“ prolatae sint, eas plane convenire cum eiusdem sententiis in libris historicis omnino conspicuus.

Scripsit

Fr. Kocian.